80.



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo Februarii M. DCC. XXXVIII.

M. FRANCISCO BAILLY, Doctore Medico, Præside.

Num in Peste, ut Carbunculi, *sic &* Bubones *statim ab initio, ferro sint aggrediendi?*

I.



ESTES inter atrocissimas, quibus nonnunquàm affligitur homo, nulla sanè calamitosior, detestabilior nulla, quàm ipsamet Pestis. Teterrimum hoc (*a*) flagelli genus, divinitùs quidem (*b*) immissum, quot mortales, ætatis cujuslibet, sexûs, conditionis, loci, regionis, in instanti; & uno quasi fulminis ictu, crudeliter percutit? DAVID *Israelitarum* Rex, post peccatum, cùm rogaretur à GAD Prophetâ, quo tandem supplicii genere, in delicti pœnam

(a) JEREM. c. 29. v. 17. 18. | JEREM. c. 21. v. 6.
(b) *Exod.* c. 9. v. 15. *Levit.* c. 26. v. 25.

plecti desideraret: bello & fame (cœlesti quodam instinctu) posthabitis, auræ pestilentiali obtulit caput, ne miserrimam plebis infimæ sortem declinare videretur. Votis ergo statim annuit Omnipotens, Pestemque (*c*) misit in *Israel*, ex quâ Tridui-spatio, 70000. Hominum sæviter occubuere. Plagâ nec absimili, (*d*) à Domino egressâ, legitur iterum in SS. (*e*) nunc. 14700. nunc. 24000. hominum subitò periisse. Dum Belligerarent cum *Peloponnensibus Athenienses* (*f*) Pestilens adeò lues hos invasit, ut qui resurgerent ex eâ plures, omnium obliti, & semetipsos penitùs ignorarent, & necessarios ac familiares non ampliùs agnoscerent; moribundi verò cæteri, mortuis acervatim accumulati, passimque in viis strati, præ frequentiâ, pro exanimis haberentur.

(f) Ann. circiter 430 ante J. C. Nativit.

Pars animam laqueo claudunt, mortisque timorem
Morte fugant, retròque vocant venientia fata.
Corpora mixta neci, nullis de more feruntur
Funeribus; neque enim capiebant funera portæ.......
Qui lachryment desunt; indefletaque vagantur
Natorum, matrumque animæ, juvenumque, senumque:
Nec locus in tumulos, nec sufficit arbor in ignes (g).

(h) Ann. circiter 75 post J. C. Advent.

Imperante VESPASIANO (*h*) Pestis ita periculosa grassata fuit *Romæ*, ut diebus plurimis, quotidiè supèr 10000. hominum extinguerentur. Sub MARCO-ANTONINO Philosopho (*i*) & COMMODO (*k*) Imperatoribus, bis *Italiam* excruciavit tam infensa pernicies, ut singulis diebus *Romæ*, 2000. hominum in *Libitinæ* partem venirent. Annon Imperantibus GALLO & VOLUSIANO (*l*), VALERIANO, (*m*) GALLIENO (*n*), CLAUDIO (*o*), Pestis ab *Æthyopiâ* exoriens, omnes Imperii Romani Provincias cum tantâ ferocitate pervasit, ut uno quoque die (*p*) 5000. hominum neci traderentur? Regnante JUSTINIANO Imperatore, tanta *Constantinopoli* sæviit pestilentiæ diritas, ut (*q*) per singulos dies 5000; interdùm etiam 10000. sepulturæ mandarentur. Tam importuna clades per 52 & ampliùs annos (*r*) orbem universum (*s*) sic peragravit, aliò nunc atque aliò, nec semel tantùm, se transferens: ut, si locis ac mortalibus quibusdam ad tempus pepercisse deprehenderetur, protinùs hæc (*t*) veluti reminiscens ac decepta, quàm celerrimè in eundem se denuò conferret locum, rata citiùs indè, quàm opportebat, se discessisse. *Bysantii* nunquid iterùm atque iterum horrida incubuit Pestis, quæ nunc, (*u*) 300000. hominum, pessum dederit, nunc (*x*) omnes ferè incolas jugulaverit? Adeò ut, ad urbem postliminiò replendam,

(i) 170.
(k) 188.
(l) 253.
(m) 260.
(n) 263.
(o) 270.
(r) Ab ann. 553 ad an. 605.
(u) 741.
(x) 756.

(c) Reg. l. 2. c. 24. v. 16.
(d) M. UNTZERUS, de Pestifer. lue. L. 1. c. 3.
(e) NUMER. c. 16. v. 46. & c. 25. v. 9.
(f) THUCYDIDES, lib. 2. Belli *Peloponn.* LUCRETIUS, de rerum naturâ lib. 6. HIPPOCRATES in Epist.
(g) OVIDIUS, lib. 7. *Metamorph.*
(h) NICEPHORUS, in Hist. Ecclef. lib. 3. initio capit. II.
(i) P. OROSIUS, lib. 7. c. 15.
(k) HERODIANUS, lib. 1. DION. lib 7.
(l) ZONARAS, lib. 2.
(m) ZOSIMUS, hist. lib. 1.
(n) BARONIUS, Annal. Ecclef. tom. 2.
(o) EUSEBIUS, in Chron. ZOZIM. ibid.
(p) BARONIUS & ZOZIM. ibid.
(q) PROCOPIUS, de Bello *Persic.* lib. 2. cap. 22. AGATHYAS, lib. 5, c. 5.
(r) EVAGRIUS, hist. Ecclef. lib. 3. c. 28.
(s) NICEPHORUS, histor. Ecclef. lib. 17. cap. 18.
(t) PROCOPIUS & AGATHYAS, ibid.
(u) Autor speculi Mundi, THEOPHANES, in Chron.
(x) PAULUS DIACONUS. CRUSIUS. Parte 1. lib. 2.

Constantinus Copronymus Imperator necessum habuerit, ex vicinis insulis & Provinciis, novos conquirere colonos, ipsisque ædes, agros, ac prædia defunctorum, gratis tradere atque concedere. Annon filiis patrem, Ludovicum Regem, pium ac relligiosum, injustè persequentibus, ultoris Dei
jussu (*y*) oborta est Pestilentia, quæ undecim dierum intervallo, totam ferè (y) 823.
Galliæ nobilitatem è medio sustulit? Per decennium tam pestifera desæviit, in
universum penè genus humanum labes, ut cum defunctis semi-vivi sæpiùs (*z*) (z) 1002.
ad sepulchrum abriperentur. Imperante Friderico II. (&) simili peste (&) 1221.
67000. hominum depasta fuerunt. Cæpta in *Oriente* formidolosa tabes (*aa*), per (aa) 1348.
universum postea ferè mundum dispersa, quartam hominum partem vix intactam reliquit (*bb*); adeò ut in solâ *Florentinorum* urbe, tunc 60000. & *Lu-* (bb) 1350.
becæ 90000. hominum interierint; necnon Carolo IV. Imperante (*cc*) trium annorum curriculo, Monachorum tantùm Franciscanorum 124434.
tam efferâ rabie corruerint. Nonne insidiosum hoc idem veneni genus (*dd*) (dd) Ab ann.
Italiam, *Germaniam*, universamque *Galliam* (*ee*) ità exercuit, ut ex millenis qui- 1369. ad 1400.
busque hominibus, vix decem superessent? Ex *Asiâ* nunquid non disseminata
Pestis (*ff*) per *Illyriam*, *Dalmatiam*que in *Italiam*; per *Germaniam* autem in (ff) 1450 ad
Galliam & *Hispaniam*, triginta annis debacchata fuit, ex quà viventium pars ann. 1480.
tertia vix incolumis evasit? Adeò ut in unicâ *Erphodiensi* urbe (*gg*) 28000; (gg) 1453.
Lutetiæ verò *Parisiorum* intra menses duos (*hh*) 40000. hominum miserabiliter (hh) 1466.
confecerit. Cæsareanis à militibus occupatâ *Româ* (*ii*), sub duce Ca- (ii) 1527.
rolo Borbonio, ea est suborta pestilentia, quæ trimestri spatio, ultrà 100000. ferociter interfecit. Maximiliano II. Imperante, tam atrox in
Hungariâ desæviit *Contagium*, ut uno die (*kk*) 18000; *Venetiis*, à mense Maio (kk) 1563.
ad januarium usquè proximum (*ll*) 60000. *Lysibonæ* biennio (*mm*) ultrà 70000. (ll) 1576. (mm) 1578.
è vivis excesserint; ac tandem quarta Gallorum pars & ampliùs (*nn*) eodem (nn) 1580.
tabo concederit. Majorem *Britanniam* (*oo*) tam gravis oppressit Pestilentia, ut ad 1586.
in solâ *Londinensium* urbe, per mensem Augustum in septimanâ quandoque (oo) 1593.
20000. hominum & plures mortui fuerint. Per universam *Europam* (*pp*) serpsit (pp) 1623. ad
ex *Oriente* lues adeò deleteria, ut in solâ *Monspelliensium* urbe tertiam Civium an. 1650.
partem mactaverit. Sed quid opus tam dissita memorare tempora? Quorsùm tot exitiosa refricare funera? De Pestis diritate, sævitiâ, malignitate, *Contagio*, necnon & interitûs pernicitate quis unquàm dubitaverit? Ab authoribus medicis historicisvè, millies coctam licet atque recoctam hanc luem, quis unicâ

(y) Acmon. lib. 5. De gestis Francor. c. 16.
(z) Joan. Wolfius, Cent. 2.
(&) Blondus, lib. 7. Decad. 2. Polydor. Vergil. lib. 7.
(aa) Guid. de Cauliac. Tract. 2°. Doct. 2ª. cap. 5. Mezeray. Annal. Franc.
(bb) Michael Saxo, in vitâ. Carol. IV. Imper. & Guid. de Cauliac, ibid.
(cc) Albert. Cranzius, & Funccius. in Chron.
(dd) Petarcha, & Platina in vitâ Clement. VI. Pontific.
(ee) Mezeray, Annal Franc.
(ff) Fernelius. De abdit. Rer. Cauf. lib. 12. cap. 14. & Jul. Palmarius, de feb. Pest. c. 5.
(gg) Michael Saxo, in vitâ Frider. III. Imper.
(hh) Riccius Neapolit. & Mezeray. Ibid.
(ii) Georgius à Frunzberg. in Histor. suâ.
(kk) Sennertus, de Febr. lib. 4. cap 9. & Mich. Saxo, in Chron.
(ll) Petrus Forestus, lib. 6. Observat. 9. in Schol.
(mm) Hugo Linschotius, lib. 1. Navig. cap. 1.
(nn) Mezeray, Annal. Franc.
(oo) Jansonius, in *Mercur. Gallo. Belg.* Lib. 6.
(pp) Ranchinus, in Histor. Pest. *Monspell.*

morbi specie declaravit? Annon solet illa describi faciliùs, quàm definiri? Quot reapsè contra naturam affectus suo comprehendit sinu, modò tamen sint vulgares, & perniciosi? Duobus enim ab his fontibus pestilentiæ omnis characterem repetas. Nullis proindè aliis hæc signis investiganda. Duris, quibus plerumque stipatur, satellitibus, annumerandi potissimùm *Bubones* & *Carbunculi*, qui, ut profligari queant, non *Diœtâ* solùm & *Pharmaciâ*, sed *Chirurgiâ* etiam indigent, At Pestilentium ejusmodi tumorum, cum alii statìm ab initio, ferro sint aperiendi; nequaquàm verò alii; caveas uno eodemque prorsùs artis opere, horum illorumvè curationem ac *Therapeiam* adoriaris?

I I.

VEHEMENS & communis Contagio, toxico, venenatâque Belluâ Nocentior, Pestiferam indicat luem. Infinita propemodùm & incredibilis *symptomatum* varietas, quibus plerùmque comitata incedit. Horrendum illud Monstrum, *Cameleone* mutabilius, oppida, civitates regnaque ipsa & imperia, tantò depopulatur immaniùs, quantò magis ejus ignoratur natura. Pestis, λοιμὸς græcis dicta, proponitur (*a*) ut morbus *Epidemius*, Acutissimus, *Contagiosus*, & Perniciosus; à Veneno quidem subtili, sed *putrefaciente*, trahens originem; *Bubones*, *Carbunculos*, febres, lethalesque diversi generis alios inducens affectus, quibus nonnunquàm plures adeò repentè corripiuntur homines & prosternuntur, ut, antequàm se putent ægrotare, mors præ foribus victrix adstet, triumphumque meditetur. Adumbratâ hunc in modum *Loimographiâ*, quis nefandam, infamem vè non recognoscat luem, quâ non ita pridem & ultimò, exercita fuit *Massilia*. Sed eheu! Quantùm luctûs! Quot lacrymæ! Quid sale novo juvat aspergere vulnera, firmâ nondum satis obductâ cicatrice? Quorum, vel animus meminisse horret, vel nomen ipse refugeret sermo, nisi assertionis hujus confirmandæ necessitas eò nos alliceret invitos, atque abriperet. *Massiliam* igitur (*b*) invasit, quæ ÆGYPTIOS ad internecionem penè deleverat, Carnifex morbus, Pestis insolens. Vidisses *Massiliæ* civès miserrimos inter spirandum, expirare; titubare, inter ambulandum; inter loquendum, suffocari. Gemuisses populum, Clerum, Nobiles, plebeios, imò summosque homines, unâ quasi falce; uno temporis puncto demeti. Flevisses sepeliendis mortuis, vivos vix sufficere. Fecerant accersiti è *Gallo-provinciâ*, èque *Occitaniâ* Medici, doctrinâ certè commendatissimi, (*c*) quod in se quidem esset; at non omninò profecerant. Exitium superabat artis opes; nec via mortis erat simplex. Ignis enim cineri doloso suppositus, in tantum protinùs erupit incendium, quantum unius provinciæ limitibus contineri non potuit. Corripuit itaque dicto-citiùs *Gallo-provinciam*, *Occitaniam*, *Gabaliam*, (*d*) *Canorgiam*. Tùm verò metuere *Sabaudia*, pallere *Hispania*, trepidare *Italia*, contremiscere *Lugdunum*, tota credere *Gallia*, ultimum sibi diem imminere. De omni *Europâ* ne actum foret, cum vererentur Regi à Sanctioribus Consiliis, & à sanitate *Archiatri* vigilantissimi, sic suadentibus (*e*) Viris Illustrissimis, ac Favente vel Imperante *Christianissimo* Rege nostro, Patre suorum, LUDOVICO DECIMO QUINTO, cum altero è Collegis nostris (*f*) *Gabaliam* appulimus,

(b) Mense Augusto 1720.

(d) Initio ann. 1721.

(a) Matthias UNTZERUS, Doctor Medicus Hallensis. De Pestifer. Luc. lib. 1. c. 2. 1615.

(c) Clarissim. D. CHYCOINNEAU, nunc *Archiatror.* Comes, D. D. DIDIER, VERNY; & SOULIER.

(e) Clarissim. D. Joan. Bapt. DODART. Saluberr. Facult. Parisiens. Doct. Reg. tunc *Archiatror.* Comes. D. D. BOUDIN & HELVETIUS.

(f) M. Ant. LE MOINE, Salub. Facult. Paris. Doct. Reg.

ut, si fieri posset, lues adeò truculenta quàm citissimè debellaretur, reprimeretur, exterminaretur. Ipsius ergo necis Adivimus fontes: non timidi, nec audaces nimis, erectâ fronte, ac sereno vultu. Cadavera inter & funera Medicinam fecimus (*g*). Nec sæva medentibus (*h*) pepercit clades. Ars ipsa, haud rarò salutis obstat Authoribus. Est hoc Pestiferis, non secùs ac vulgaribus & *Contagiosis* aliis affectibus commune, ut, licet unius ejusdemque speciei morbos, hi vel illi, primo referant intuitu; naturâ tamen, origine & adjunctis, plerùmque inter se discrepent. Hinc mirabilis forsan & immensa opinionum diversitas, quæ circà Pestis curationem & historiam, in libris passim observatur. Hinc nullus mirandi locus, quòd à nobis, de variâ *Bubonum* & *Carbunculorum Therapeiâ* dicturis, nihil proferetur in medium, nisi quod in *Gabaliensi* Peste, vel ipsi præsertim viderimus, ratione simul & experientiâ comprobaverimus.

(g) Ab August. 1721 ad april. 1723.

(h) M. Lemoine, & nosmetipsi, novi ad *Canorgiam* adhùc advenæ, *Bubonibus*, & *Carbunculis* fuimus divexati.

III.

Epidemici morbi causa debet esse (*a*) communis. Cum autem nihil sit homini communius, nihilque Pestilentibus ab effluviis possit affici faciliùs, quàm aër: quis ab aëre, *miasmatis* ejusmodi venenatis ex parte jam inquinato, Pestilentiæ cujuslibet originem primitùs non deducat? Contagionis nomine, intelligenda venit ea corruptio seu infectio, quæ ab hoc in illum permeans locum, similis est ei, ex quâ primùm emanavit. Quid porrò *Contagium*, præter *Miasmatum* insensilium genus quoddam putridum ac subtile, quod ad infecto subjecto, mediante nunquam non aëre, in aliud serpit atque diffunditur? *Contagii* enim semina, putrida quantùmvis ac tenuia supponantur, nihilò tamen minùs ambiente semper indigent aëre, quo, tanquam vehiculò ac medio, vel *inspiratu*, vel *deglutione*, vel ipso contactu, quem *immediatum* vocant, sanum Hominis corpus, ad ea tamen excipienda priùs dispositum, queant inficere. Sic, modicum fermentum, ingentem dicitur massam corrumpere.

Sic, ... uva (b) livorem ducit ab uvâ.
Sic, ... grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci, &c.

Nec aliter, licet in distans & per fomitem (ut aiunt,) per merces videlicet ex *Asiâ* furtim in *Massiliam* introductas, primùm oborta lues, quæ paucis ab hinc annis *Gallo-provinciam* & *Gabaliam* mirabiliter excruciavit. Procul hinc igitur, & facessant pertinaciæ forsan, ac temeritatis plenissimi, Autores, qui, Pestis *Contagium* ut *Chymeram* habentes, solo & unico cujusvis Hominis terrori, Pestilentiam posse contrahi somniaverunt. Expediat horum aliquis, quâ ratione, Pestilenti tabo corripiantur infantes, ac recens nati? Unde, fugato personarum &

(a) Saluber. *Facult. Parisiensis* Consilium de Cautionibus ad prævisionem pestis, ex rogatu Procerum *Politicorum*, die 2. Febr., ann. 1581.
(b) Juvenal. Satyr. 2.

rerum infectatum conspectu, repurgatâque per ignem *Atmosphœrâ*, lues, formidata licet adhuc ab omnibus, brevi tamen nonnunquam extinguatur? Quî, TURCÆ ab omni prorsùs necis horrore alienissimi, (*c*) Pestilentiâ tamen frequenter inficiantur? Cur, in postremâ *Gabaliensium* Peste, plerique Sacerdotes *Confessarii*, quocunque licet Pavore deposito, & solius Dei Numine afflati, mutuos inter ægrotantium amplexus, quorum excipiebant peccata, simili tamen, quàm ægrotantes, labe perierint? Dum vicinarum Provinciarum Incolæ, periculosam etsi hanc luem summoperè metuentes, nullatenùs eâ fuerunt implicati. Quâ de causâ, sexaginta inter & novem *Chirurgos* (impavidos licet ac lubentes) ab aulâ *Christianissimâ* in *Gabaliam* immissos, ut ægris opitularentur: unus tantùm modò à peste intactus (*d*) & incolumis emerserit? Dum è sodalibus ejus, dirâ lue pariter infectis omnibus aliis, quinquaginta supra quatuor miserabili fato ceciderunt. Quis porrò sapiens & æquus rerum æstimator, soli hominum terrori, Pestis propagationem adscribat? A loco enim in locum, à merce in mercem, ab homine in hominem si lues diffunditur; si corpora nostra perspirabilia sunt ab intùs ad extrà, & vice versâ, ut experientiâ constat; si

Quò propior quisque est, servitque fideliùs ægro,
In partem lethi citiùs venit........... (e).

Quis Pesti, verum ac putridum inesse *Contagium*, non affirmaverit? Quis contagionem seu infectionem non reformidet? Quis utriusque malignitatem & periculum non detestabitur? Hinc vetus illud evixit carmen; tribus adverbiis, verbisque totidem conflatum:

Mox, longè, tardè, Cede, Recede, Redi.

Abscondita & inextricabilis *Contagii* hujus indoles, tot mutabilia, vel in solidis, vel in fluidis corporis partibus, creat *Symptomata*, ut ex ipsis (totidem veluti Pestilentiæ, morborumque aliorum signis & effectibus) à Medico instituenda *Prognosis*, plerumque debeat esse anceps, incerta & obscura. Horum verò *Symptomatum* quamvis, pro diversâ aëris & ægri (*f*) dispositione, una eademque non semper sit facies; causa tamen proxima, partìm à *Villorum* corporis *Erethismo*, partim ab humorum *inspissatione* venit depromenda. Quid enim indicant aliud horrores, tremores, nervorum *subsultus*, æstus immodici, febres variæ? Quid lassitudines spontaneæ, subita virium omnium prostratio absque causâ manifestâ; dolores capitis, vigiliæ intensæ, *Delirium* ingens, somnus profundus? Quid ciborum inappetentia, sitis ingens, linguæ ac faucium ariditas; respiratio difficilis & frequens, graveolens & fætidus anhelitus, *Cardialgia*, *singultus*, *Vomitus* enormes? Quid *Hæmorrhagiæ* diversæ; alvi fluxus, *Dyarrhœa*, *Dysenteria*, intestinorum *Morsus* intolerabiles? Quid pulsus, sæpe validus, & lentus; interdum debilis, et creber, æqualis modò, modò inæqualis, vel etiam intermit-

(c) Joann. Jacobus SCHEUCHZERUS, in not. de peste *Provincial.* Sect. 2. n. 9.

(d) TRIPPIER. Cognominatus.

(e) OVIDIUS, lib. 7. *Metamorph.*

(f) Hujus enim semper meminisse oportet toto hoc sermone, quòd nulla morbi causa, sine patientis corporis dispositione quidquam efficere possit. Alioquin omnes, qui in Sole versantur æstivo, in febrem inciderent, & qui plùs æquo moventur, aut vinum bibunt, aut irascuntur, aut mærent: Nec secùs omnes ægrotarent circa caniculæ ortum, atque omnes in pestilentiâ perirent; sed ut est dictum, maxima pars generationis morborum, est præparatio, seu dispositio Corporis, quod passurum est. GALENUS *de different. Febr. liv.* 1. *cap.* 6.

tens? Quid urinæ, nunc tenues & crudæ, nunc turbatæ, aliquandò lividæ ac fœtidæ, nonnunquam etiam (ficut & pulfus) urinæ fanorum fimiles? Quid multiplex tandem ac milleformis cutis *Exanthematum*, *Bubonum* & *Carbunculorum* eruptio? Tot expugnandis hoftibus, fi medicamentorum internorum fua laus eft & utilitas: an eorum quæ foris admoventur, minor erit ufus & honos? Quàm implicitas ægritudines fecum invehit peftis; tam difpares curandi leges hæc efflagitat. Sic *Bubonibus* & *Carbunculis*, ab eâdem licet communi causâ fluentibus, diverfa tamen omninò convenit *Chirurgia;* ita ut, hi ftatim ab initio; minimè verò illi, ferro aperiendi veniant.

IV.

CONTAGIONIS, ubi jam in fufpicionem venit, certior character nullus, quàm *Bubonum* aut *Carbunculorum* eruptio. Diræ luis, hæc plerumque comes perpetua, febri aliquando affidet; aliàs exilit folitaria: febremque nunc antecedit, nunc fubfequitur. Eft etiàm quando pefte correpti pereant, in quibus, vel ante, vel poft mortem, nullum *Apoftematis* aut ulceris veftigium apparuit. Tumor quilibet *Phlegmonodeus*, graffante vel incipiente Peftilentiâ, in *flexuris* articulorum, *adenum*vè quarumdam *Lymphaticarum* feu *Conglobatarum* locis emergens, *Bubonis* Peftilentis (*a*) nomine infignitur. Sub mento, ponè aures, in axillis & in inguinibus præfertìm exoritur. *Bubonum* alii rotundi, oblongi alii, quidam in mucronem *faftigiati*, nonnulli majores minorefvè evadunt. Peftilens *Carbunculus*, quem Græci ἄνθραχα, prunam, ignemvè *Perficum*, *Arabum* interpretes dicunt, non, uti *Bubo*, peculiarem fibi vindicat fedem; at indifcriminatìm per quamlibet fuperficiei corporis partem, *Mufcularem* præcipuè aut *Membranaceam*, profilit. Adeò ut, fi cordis aut *ventriculi* regionem, collum, faciemvè deturpet, opus periculofæ plenum fit aleæ. Quid enim *Carbunculus*, præter malignum tumorem, in exteriori corporis parte, *mufculari* potiffimùm aut *Membranaceâ*, ftatìm ab ejus initio non multò foràs extuberantem, cum ulcere ut primùm *gangrænofo* conjunctum, & cui vehemens *inflammatio*, calor intenfiffimus, implacabilifque dolor nunquàm non adnectuntur? *Bubonis* indicio eft, acerbus tumor, mobilis interdùm in principio, dein fixus, modò proximæ cuti concolor, aut citrinus, modò lividus aut nigricans. *Carbunculi* verò notas, ex ipfo pariter affectu defumptas, oftendit pruritus adeò infignis, ut volens, nolens æger unguibus partem afflictam fcabere teneatur; in extremâ tum cute, dolor immitis; paulòpòft quandòque *Phlyctena* fimplex, aut *Puftula*, vel etiàm plures exiliffimæ, cum ardore acerrimo fociatæ, nunc pallidæ aut rubræ, nunc citrinæ, virentes aut verficolores. His difruptis, velut à candente ferro, *Cruftofum* ulcus obducitur, punctis quibufdam atris diftinctum & *Sphacelofum*, aliàs nigrum aut luteum, aliàs lividum, cinereum, aut fubnigrum. Nec raró etiam citrà *Puftulam*, *Puftulas*vè fe fe dat in confpectum *Carbunculus*. Hæc Peftilentium tumorum utraque fpecies, quamvis à *Crifpaturâ* fibrarum, liquorumvè corporis *infpiffatione*, cum fummâ putredine conjunctis, & *Contagii* effectibus, ducat originem: æqualem fempèr ut non portendit perniciem; fic diverfam omninò curationem ac *Therapeiam* poftulat. *Anthracem* igitur, utpote qui periculofior & pejoris præfagii fit, quàm *Bubo*, ab aggreffione primâ, fcapello (quem alii

(a) Hîc enim non agitur de bubone, vel benigno, vel venereo; neque de furunculo, quem anthracem benignum aliqui vocanr, neque de carbunculo maligno, qui citra peftem adoritur.

lanceolam vocant) ſtatim aperias: dum *reſolventibus*, *attenuantibus*, *diſcutientibus*vè medicamentis, unâ permixtis, & externè (*b*) adhibitis, bubonis medelam omnem committere non gravaberis. Eſt *Carbunculus*, HANNIBAL ante portas, hoſtis ſtrages edere geſtiens, derepentè mortifer adeò, ut ſanationi tempus nullum identidem relinquat. Ubi quòdam indicio, quantumvìs levi, ſe ſe profert virus, ſuoptè impetu in corporis ſuperficiem divertens, & cutis glandulas *inflammatione gangrænosâ* jam afficiens, protinùs magis ac magis illiciendum foràs; idque non virtute medicamentorum, ſed majore aliâ quâcunque vi, vulneribus ſcilicet profundioribus, inciſionis ope cuti, ad muſculos uſquè, cùm opus eſt, inflictis. Citò itaque diſrumpendus (*c*) tumor, citò reſcindendus; tardè firmandus aut *conſolidandus*. Hujus enim materia, cum immediatè (*d*) ad *Sphacelum*, nunquàm verò ad *ſuppurationem* (*e*) tendat: quantâ pernicie vicinas partes inficiet, niſi ad exitum diſponatur, ocyùſque exterminetur? Quoties ex denarii magnitudine, quà ſe ſe primùm obtulit oculis tumor, extemplò, id eſt pauciſſimas inter horas, nummum argenteum ſuâ ſuperavit amplitudine, longius dein, ſerpendo, latiuſque ſpatium emenſus? Quoties defixis jam altè radicibus, partis affectæ calorem & vitam extinxit? Quot immò ægrotantes è medio ſuſtulit? Ergo periculum in morâ. Proximum ab exortu *Carbunculi* ardet incendium. Hoc ut citò tutòque reſtinguatur, annon tumorem, *ſyderatione* mox percutiendum, ſcalpello ſtatim incidere (quod *ſcarificare* aiunt) commodum (*f*) erit atque utiliſſimum? Altioribus, crebriſque inciſuris punctìm (*g*) circumcidenda, tum *inflammationis* ſedes, tum ipſum *Cruſtuloſum* ulcus, & quidèm in parte adhùc vivâ, coruptæ viciniori; adeò ut, ſimùl cum craſſiore atroque ſanguine, putrida omnis ac virulenta materies per vulnuſcula, ſi fieri poſſit, apertâ viâ diffluat. Mox *ſcarificatus* ipſi, lixivio quodam conveniente, ſæpiùs perfundendi, ne parti altiùs inhæreſcens adhùc ſanguis *Ichoroſus* concreſcat in grumos, vel, ſi jam concretus fuerit, evacuetur difficiliùs. Hæc poſteà quàm aſſecutus fueris, parti primùm admoveas ea remedia quæ reſiſtant putredini, trepidantiſvè naturæ vitalem influxum revocent; ac tandem circumcirca, & in confiniis, in quibus ſupereſt *Phlogoſis*, *diſcutientia*, emolliendi levitèr, ac digerendi facultate prædita, in uſum adhibeantur. Hæc eadem an uſurpanda venit methodus in *Bubonis*

(b) Nunc enim differere, nec vacat, nec expedit, de remediis internis, aut præceptis diæteticis, quæ ad variam bubonum, carbunculorum, aliorumvè peſtis ſymptomatum therapeiam pertinent.

(c) ANTHRAX ſeu carbunculus citò diſrumpendus, ac tardè conſolidandus, inquit UNTZERUS lib. 3. de Peſt. curat. cap. 12.

)d) JOAN. JUNCKERUS in conſpect. Chirurg. Tab. 8. de Carbunc, & Anthrac.

(e) Carbunculi verò materia nunquàm ſuppuratur, ſed fervore exuſta, corruptæ carnis lobum tandem excutit, quo excidente ulcus cavum ſordidumque manet, hocque uno maximè à cæteris diſtinguitur tuberculis. FERNELIUS Path. lib. 7. cap. 2.

(f) Oriuntur etiam ex quibuſdam popularibus cauſis carbunculi. Curate igitur ipſos oportet, niſi valdè parvi fuerint, per venæ ſectionem, ſanguinis evacuatione ad animi deliquium uſquè factâ. Scarificare enim poſt venæ ſectionem non incommodum eſt, profundioribus vulnuſculis impactis, ob humoris craſſitudinem. Ad locum autem affectum diſcutientibus utimur, Paul. ÆGINETA de re Medic. lib. 4. cap. 22.

Eadem Oribaſius de Morb. curat. lib. 3. c. 27.

Carbunculum, ubi primùm eruperit, ſtatim curare oportet, ſanguine ad animi deliquium evaevacuato. Poſt venam ſectam, non inconveniens eſt locum ſcarificare, vulnuſculis profundioribus impactis, ob materiæ craſſitiem. ÆTIUS Tetrab. 4. ſerm. 2.

In carbunculo, Gangræna curatur, cute circum citcà, multis altiſque adactis plagis, ſcalpello diſſectâ. Sanguis ſatis copioſus eſt educendus, ACTUARIUS de methodo Med. lib. 6.

(g) JOANN. ANTON. SARAC. de Peſt. curat.

curatione?

curatione? Absit. *Bubo* non ita validè pulsat ostium. Hostis, ex naturâ suâ ut mitior, sic non ita pertimescendus. In *Bubone*, non unicus sanguis putrido luis veneno inquinatus, sed etiam lympha ab extremis corporis partibus redux & eodem fœta *Contagio*, ad *Glandulas* quasdam appellunt *Conglobatas*, *Inguinales*, *Axillares* & *Parotides*. Ejusmodi *Glandulæ*, cùm ex naturâ suâ spongiosæ sint, molles, tenui membranâ cinctæ, in *flexuris* articulorum positæ, & cute solâ exteriùs coopertæ: quid mirum, si sanguis & *lympha*, ob utriusque crassitiem, à *Contagio* simul & externo frigore contractam, intrà *Dædaleos* earum anfractus, magis ac magis hæreat, cespitet, *inspissetur*, *ingurgitetur*. Facto quidem in *Glandulis* obice, tum sanguini à corde iterùm appellenti, tum calidiori *lymphæ* de novo ab extremis redeunti, major occurrit resistentia. Hinc *arteriarum ingeminantur* ictus; *Capillaria Glandularum* amplificantur vasa; impediuntur; in his augetur infarctus; ac proindè citò-citiùs erumpunt earum durities, tumor, dolor, & *inflammatio*. *Bubone* jam suborto, penitùsque cognitâ ejus origine ac sede: quid aliud indicat natura faciendum, quàm ut viscida materies, in *Glandulis* lentescens, naturæ licet calidioris, citissimè extrahatur foras? Quâ tandem viâ? Quonam artificio? Unico, & multiplici. Cutis nempè texturam primùm emolliendo & aperiendo; materiam deindè in *Glandularum* vasis nidulantem dividendo, digerendo & comminuendo; ac demùm, attenuatum jam humorem, per cutis poros, in halitus insensibiles *discutiendo*. Hunc autem in finem, numquid non ab arte consecrata sunt medicamenta *discutientia* (*h*), quæ relaxandi simùl, aperiendi, resolvendi, digerendi, attenuandi & per transpirationem educendi virtute, prædita sunt? Si potissimùm statìm à *Bubonis* exortu, tumori exteriùs applicentur. Sic in *Gabaliensi* peste, unicum Emplastrum Magneticum (*i*), Angel. SALA vulgò dictum, Bubonibus impositum, celebratas mox virtutes & *indicationes* ferè semper adimplevit; ita ut, in sanandis *Bubonibus*, ad *Glandularum suppurationem*, *extirpationem*, incisionemvè, nunquam nobis fuerit recurrendum.

(h) In *Bubonibus*, qui ex febribus (maximè in peste) fiunt, statim à *discutientibus*, incipiendum est. Venæ sectione priùs in cubito celebratâ, si vel ætas, aut vires non prohibeant. PAUL. ÆGINETA de re Medic. lib. 4. cap. 22.

(i) Emplastrum Magneticum, ex cod. Paris.
R. Sagapen.
Amm oniac
Galban. in aceto scyllitico dissolutorum, ā unc. iij.
Ceræ Flav.
Therebint. Venet. ā unc. IV. & s.
Colcothar. unc. j.
Ol. Succin. unc. s.
F. Emplastr. secund. Art.

V.

QUANTÒ majorem corpori perniciem afferre nititur Pestilens Venenum; semel vel inspiratum cum aëre (*a*), vel *deglutitum*; tantò magis, illud ab eo procul arcere (*b*) natura machinatur. Hoc in duello, si natura debilior, cedit aut vincitur; si validior: aut *Contagium* adhuc subtile foras agit & dissipat; aut crassiores humores jam putredine infectos, in partes corporis extimas

(a) Externa & *Procatartica* pestis causa unica est, perniciosa aëris corruptio, quem pariter omnes inspirant, & cujus usu nemo carere potest, ex HIPPOCRAT. lib. *de Flat.* & GALEN. lib. de Theriac. ad Pison. Bartholom. PERDULCIS in univers. Medic. lib. 10. cap. 2.

(b) Bartholom. PERDULCIS. ibid. cap. 10.

& ignobiles propellit. Hinc *Bubones*, *Carbunculi* & *Ecthymata* : minimè dubia *Cacohetiæ*, vel *Contagionis* argumenta. *Carbunculi*, ex adusto solùm ac retorrido Sanguine ; *Bubones* autem, è Sanguine quidem, sed minùs fervido, & ex lymphâ spissiori, ab extremis ad cor redeunte, proximè producuntur. Horum tumorum, confertim & statim à morbi principio, factâ eruptione : Saluber (*c*) etsi evadit morbus, qui priùs erat lethalis ; summa tamen omnium cautio est, atque una provisio, ut eos protinùs, arte summoveas. Quemadmodùm affectui solitario ac simplici, simplex ; sic vario ac Multiformi, varia debetur curatio. Quisquis igitur naturæ minister modò, atque adjutor est, nec verbo tantùm, sed re ac facto Medicus, is *Buboni* & *Carbunculo*, statim ab eorum exortu, *Chirurgi* manus, multifariam & diversimodè admovendas curabit. *Bubones*, discutienti jam laudato ; ferro, *Carbunculos* haud cunctanter aggredietur. Cum enim, *Bubonum Carbunculorumque* sedes & conditio sit omninò dissimilis ; quis *praxeos* Medicæ studiosus & amans, hos illosvè multimodis tractandos esse non dijudicaverit ? Cum, ineunte vel etiam consistente Pestilentiâ, materia morbum tumoresve faciens, sit genere toto contrà naturam, quis non videat, frustrà materiæ hujus concoctionem expectari, quæ futura numquam est ? Cum tandem, hâc in utrâque tumorum specie, firmior adhuc robustiorque natura, venenatæ perniciei expulsionem, per determinatum iter affectet atque moliatur ; quis, naturâ sic monstrante viam, per eamdem quoquè partem, ab obsessâ sede, putridam materiem subitò revellere dubitaret ? Hinc, ubi sui dat indicia *Carbunculus*, vel novaculâ (*d*), vel scalpello, *Punctim*, *Cæsimve*, statim vulneranda corrupta cutis : nunc levissimis incisionibus, nunc sectione mediocri, nunc plagis altioribus ; prout exigere videbitur partis affectæ substantia, situs, figura, sensus, robur, & usus. Nec ratione dispari, cum primùm in *adenum* locis dolor percipitur, multòque magis si jam eminere *Bubo* incæperit, partim ei ipsi, quâ se se obtruserit, commissuræ, adhibitis illicò *Rarefacientibus* Medicamentis, emollietur tumor, partim etiam *attenuantibus* & *diaphoreticis*, cum præcedentibus unà permixtis, foràs evocabitur humor atque discutietur. Numquid, ferro sic vulneratâ *Carbunculi* sede, adusta simul, crassa & *Ichorosa* ejus materies, citò tutòque foràs non evacuabitur ? Annon *rarefacientibus*, incipienti *Buboni* extùs admotis, & bellè cutis relaxabitur, & prosperè mitigabitur ac lenietur tumor ? Nonne *diaphoreticis attenuantibus*que, cum aliis ex arte simul admixtis, divisus iterum atque comminutus humor, per cutis poros, in halitus insensiles commodè dissipabitur ? Quidni tunc deleretur Bubo ? Quidni perfectè planèque sanaretur ? At experientiæ cedat ratiocinium. Dubium & controversiam respuunt facta. Nullus ignorat, dum apud *Gabalos* postrema grassaretur lues, majori tunc ægrotantium parti, *Bubones* & *Carbunculos* in corporis superficiem erupisse. Quid tum ? Quotquot, statim à morbi principio, nostræ commissi sunt curæ, horum penè nulli, quibus aut ferrum, aut emplastrum magneticum ex arte protinùs applicatum fuit, (*e*) è peste non evaserunt incolumes. Perperam igitur reclament naturæ motuum imperiti, qui, ut *Bubonibus Carbunculis*que pestilentibus auxilientur, ad *repellentia* (*f*) *Epispastica*, *Ma-*

(c) Galenus lib. de constit. art. Med. & method. lib. 5. cap. 12.

(d) Abraham Frambezarius in Med. method. lib. 7. de Tumor. curat.

(e) Administratis tamen, dum opus fuit, medicamentis aliis, vel externis, vel internis, ad profligandam luem, consultò accommodatis.

(f) In vehementi quidem inflammatione, eâque maximè, quæ maligna & Pestilens est, non per initia, *Repellentibus repercutientibus*vè nitendum : ne, humorum malignitatis venenatæ ratione non habitâ, Pestilens pernicies ad vis-

lactica (g) Peptica aliaque pus moventia, precariò recurrunt? De abstinendo penitùs ab ejusmodi medicamentis, fuit nobis antiquissimum. Enim verò quid opis & auxilii ferre, quidve aliud efficere possunt similis farinæ remedia, quàm ab instituto suo, non sine magno vitæ discrimine, naturam funditùs avocare, atque abstrahere? Ab his non solùm ut inutilibus, verùm etiam ut execrandis, abhorret legitima *Bubonum Carbunculorumque* curandorum ratio. Nonne ipsorum abusu sœpissimè, vel in interiora refluit pestifer humor, vel inducitur aut acuitur febris, vel exardescit dolor, tumor exasperatur, labefactantur vires, partisque ipsius *gangræna* in horas ingravescit? An minùs improbanda methodus eorum, qui vel amplificato tumore *glandulas* ipsas à cute diducunt, & hamo prehensas, scalpelli acie ad vivum resecant & extrahunt, vel candente ferro, *causticisvè* aliis, *glandulas* easdem Pestilenti *Bubone* infectas adoriuntur? Candente ferro cutem aduri aperirique, nec novum, (*h*) nec insolens. At præterquam quod molliores naturæ, ustionem tolerare vix possunt, hæc à legitimâ medendi ratione, prorsus ableganda venit: ex quâ damni plùs adhuc intùs, quàm extùs doloris, acerrimi licet, ægrotantes nunquam non percipiunt. *Glandulæ* autem, vel *inguinales*, vel *axillares*, vel *parotides*, cum vasis majoribus substernantur & aliquatenùs adhæreant, possunt ne absque summo cruciatu & vitæ periculo, *Chirurgicis* instrumentis prorsùs evelli? An non timendi locus, ne vasis majoribus ad vivum ita Resecatis, mors quàm citissimè subsequatur? Eximiâ igitur, quâ, in Medicamentorum administratione, Medicus præstat prudentiâ, an mediocriter in eâ debet excellere, ubi corpori admovendum erit ferrum: in quo, ut virtus maxima; sic periculum majus.

cera, principesque partes alias intrò regeratur; quâ ex re solet evenire ut sæpius vita cum morte commutetur. Galen. lib. 14. Meth. cap. 10. J. Ant. SARACENUS de Pest. curat.

(g) Ego plurimorum præcepta dicere verè non possum, si qui inscii imperitique, pro salutaribus mortifera, aut alioquin noxia conscribunt: quo ex numero illi mihi omnes esse videntur, quorum alii vehementiora *Epispastica*, alii *Malactica*, *Pepticà*, aliaque pus moventia præscribunt. Illa etenim, dolores & febres cùm irritant & exacuunt, vires impendiò labefactant; his verò carbunculus graviùs exasperatur, partisque ipsius putredo magis magisque ingravescit. J. A. SARACEN.

(h) Idem, ibidem.

Non ergo in Peste, ut Carbunculi, *sic &* Bubones *statim ab initio, ferro sunt aggrediendi.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Ludovicus-Joannes le Thieullier, Regis Consiliarius & in Majori Consilio Medicus Ordinarius.

M. Andreas-Josephus Seron.

M. Claudius Vergne, Scholarum Professor designatus.

M. Nicolaus le Roy de Saint Aignan.

M. Thomas-Renatus Gasnier.

M. Jacobus-Benignus Winslow, Regiæ Scientiarum Academiæ, Societatisque Regiæ Berolinensis Socius, Teutonicæ linguæ Regius Interpres.

M. David Vasse.

M. Philippus Davier de Breville, Dotariæ Hispaniarum Reginæ Medicus perpetuò Ordinarius.

M. Antonius Pepin, Regis Consiliarius & in port Brestensi Medicus Primarius.

Proponebat Parisiis, JOANNES-JACOBUS BELLETESTE, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1738. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1738.